Gymnasium mit Realschule I. Ordnung

zu

THORN.

Zu der

am 30. September und 1. October 1869

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

aller

Gymnasial- und Real-Klassen

und der

Entlassung der Abiturienten

ladet

ehrerbietigst und ergebenst ein

der

Director **A. Lehnerdt.**

De locis aliquot Sallustianis scripsit Dr. Frid. Gründel.

Schulnachrichten von Mich. 1868 bis Mich. 1869. Vom Director.

THORN, 1869.

Gedruckt in der Rathsbuchdruckerei (Ernst Lambeck.)

De locis aliquot Sallustianis

scripsit

Dr. Fridericus Gruendel.

Cat. cap. 3 § 2 ex auctoritate plurimorum manu scriptorum vulgo haecce leguntur: „Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere cet.“

Quae scriptura quamvis fide codicum vetustissimorum confirmetur neque habeat, in quo qui cogitatorum nexum attenti sunt persecuti haesitent, a nonnullis tamen recentioribus editoribus, velut a Dietschio et Jacobsio viris doctissimis reiecta et scripturae ***„actorem“***, quam alii codices exhibent, posthabita est. Quarum vocum utra genuina sit — quoniam unam tantummodo in textum admitti posse per se patet — recte ut iudicemus, quum totum huiusce loci sententiarum nexum inquiramus tum maxime quid Sallustius praegressis dicere voluerit accuratissime examinemus oportet. Praegressis autem cum plane exposuerit, cuivis homini ad vitam digne transigendam perfruendamque studium alicuius negotii aut praeclari facinoris necessarium esse, quo sibi gloriam comparare posset, pro sua cuique ipsius natura atque indole sive pace sive bello aditum gloriae patere affirmat. Hoc autem ita sese habere quo magis in promptu sit, duo bipartita exempla a temporibus et belli et pacis petita adiungit tum bene facere reipublicae pulchrum tum bene dicere haud absurdum esse, non modo qui ipsi res gesserint, sed etiam qui res ab aliis gestas scripserint multos laude affici profitens. His igitur praemissis Sallustius ad sententiam huiusce ipsius loci, a quo tota quaestio profecta est, transit; quae qualis sit, non iam dubitationi obnoxium esse potest. Profecto enim nihil aliud dicere vult nisi haec: Quantumvis difficile sit rebus gerendis gloriam sibi acquirere, tamen multo etiam difficilius sibi quidem videri scribendis rebus gestis eam consequi, non modo quod dicta semper factorum tanquam instar esse debeant, sed etiam quod plurimi eorum, qui legunt, facta a scriptore vel amantissimo veri commemorata aut aequis animis accipere aut gloriam sive turpitudinem eorum de industria exaggeratam esse opinione praeiudicata arbitrari consueverint. Tot igitur tantasque difficultates conscripturis res gestas obstare, quominus gloriam adipiscantur, Sallustius cum dicat, de ipsis vero res

gesturis nullam prorsus in hac re mentionem faciat, manifestum est, eum et gloriam facilius ab his quam ab illis acquiri et quomodo fiat, ut hi illis vel maiorem gloriam assequantur, docere voluisse. Ex quibus intelligitur, scriptorem hoc loco cum auctore rerum, non cum actore rerum comparatum esse. Neque enim is, qui rei alicuius bene gestae gloriam sibi peperit, actor eius rei dicitur, sed auctor est; quod quum ex communi usu dicendi constat tum maxime ex notionibus augendi et agendi, a quibus verbis activis illa substantiva derivata sunt.

Augendi autem principalis notio est rem aliquam gignendi genitamque maiorem reddendi, quod et vox graeca αὐξάνω et Lucretius 5, 323: „quodquomque alias ex se res gignit alitque" docet; agere contra is dicitur, qui rem aliquam in lucem iam prolatam properat et ad optatum exitum perducere studet. Itaque auctorem recte dicimus eum, a quo res aliqua proficiscitur, actorem eum, qui rem studiose persequitur. Quod discrimen cum inter haec vocabula intercedat, illius prioris significationem unice ad locum, de quo agitur, quadrare facillime intelliges, praesertim cum non tam ei, qui rem aliquam exsecutus ingenio alterius tantummodo inservivit, gloriam tribui, quam ad eum ipsum, a quo consilium rei bene gestae excogitatum est, conferri usus doceat.

His satis exposuisse mihi videor, Sallustium „*scriptorem*" et „*auctorem*" rerum inter se oppositurum fuisse ideoque scripturam „*actorem*" quamvis multis nec deterioribus libris comprobatam reiiciendam esse.

Cat. cap. 3 §§ 3 et 4 haec legenda continentur: „Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur; ac me, cum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eademque quae ceteros fama atque invidia vexabat."

Hoc autem loco codices magnopere inter se discrepant. Sunt enim, qui pro „*studio*" post verba „*sicuti plerique*" „*a studio*" exhibeant; alii plerique pro casu „*reliquis*" ablativo genetivum „*reliquorum*" continent; alii denique pro „*eadem quae ceteros fama*" „*eademque ceteros fama*" tradunt.

In tanta manu scriptorum dissensione editores alios aliam in textum recepisse scripturam nihil profecto miri habet; in ea re solum omnes ad unum consentiunt, quod praepositionem „*a*" ante vocem „*studio*" sustulerunt; quam num suo quisque iure prorsus neglexerint, paulo infra disceptemus. Neque vero magis mirum est, quod quidam hunc locum librarii manu depravatum esse suspicati ei manus emendatrices admoverunt.

Priusquam autem de vera huius loci scriptura, qualis sit, quaestionem instituamus, haud a re duxerim, quae lectionis varietas inter editiones intercedat, iam protulisse. Ut igitur a vetustioribus initium capiam,

Cortius legi vult: „ac me, quum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido, eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat." — Quam Cortii scripturam Tellerus, Herzogius, Kunhardtus, Langius modo amplexi sunt.

Lipsius: ac me, quum ab reliquorum .... honoris cupido eadem, quae ceteros, fama, atque invidia vexabat.

Thysius: ac me, quum ab reliquis........ hon. cup. eadem, quae ceteros, fama atque inv. vex.

Editio Bipontina Gronovio auctore scriptum habet: ac me, quum ab reliquorum..... hon. cup. eâdem, quâ caeteros, famâ atque inv. vex.

Ex recentioribus

Muellerus: ac me, quum ab reliquis....... hon. cup., eadem, quae ceteros, fama atque inv. vex.

Jacobsius et Jordanus: ac me, quum ab reliquorum...... hon. cup. eâdem quâ ceteros famâ atque inv. vex.

Kritzius: ac me, quum ab relicuis...... hon. cap. eademque quae ceteros fama atque inv. vex.

Dietschius: ac me, cum ab relicuorum..... hon. cup. eadem eademque quae ceteros fama atque inv. vex.

Quae cum ita sint, luce est clarius, quatuor res nobis in hac quaestione videndas esse:

primum: utrum „*reliquorum*" an „*reliquis*" legendum sit.

deinde: num pronomen „*eadem*" pertineat ad praecedentem vocem „*cupido*" an ad sequentia verba.

tum: sitne „*eadem*" sextus an primus casus.

denique: utrum statim post pronomen „*eadem*" relativum „*quae*" in manu scriptis fuerit necne.

Has quoque quaestiones, sicuti priorem illam, nisi cogitatorum nexu acriter perspecto solvi non posse quis est quin intelligat?

Respiciamus igitur primum ad ea, quae Sallustius antegressis de se ipse confessus est. Ubi cum non sine aliqua animi acerbitate dixerit, auctori rerum maiorem quidem quam scriptori gloriam impertiri, tamen rationem historiam scribendi multo etiam difficiliorem ideoque (quod ex vocibus „*Sed ego adolescentulus*" ineuntis tertiae paragraphi coniici potest) imprimis dignam esse, quae ab adolescentulis illam quaesituris miretur, se ipse accusat, quod admodum adolescens quidem sicuti plerique commodiorem eandemque fructuosiorem secutus ambitione se abripi ac corrumpi passus sit. Hoc autem vitio se vexatum fuisse haudquaquam dissimulans simul sui excusandi gratia dicit eius rei culpam non tam in mores ipsius quam in aetatis imbecillitatem ac maxime in vitia audaciae, largitionis, avaritiae illo tempore nusquam in republica non vigentia conferendam esse; tot tantisque vitiis undique in se ingruentibus imparem ita tantum se succubuisse, ut ambitioni quidem potestatem sui daret, sed ab reliquis malis moribus omnibus sicuti antea summo taedio abhorreret. Quam leve autem ambitionis vitium Sallustius iudicaverit, ex initio capitis undecimi apparet, ubi id propius virtutem dicat. Itaque in sui ipsius excusatione minime acquiescens etiam queritur, quod tam levi vitio in eandem nec minorem famam atque invidiam inciderit, quam ceteri malis moribus contemptione vere dignis sibi conflarint.

Hic nexus cogitatorum tam simplex est adeoque animo Sallustii convenit, ut dubium esse nequeat, quin „*reliquis*", non „*reliquorum*" legendum sit, praesertim cum Kritzius recte monuerit, „Sallustium ambitionem malis moribus, quos vituperaverat, in unum quasi comprehensis opponere voluisse nec dicere potuisse, se ab reliquorum malis artibus alienum, ambitione tantum corruptum fuisse; ita enim ambitio non commune omnium, sed ipsi proprium vitium fuisset."

Jam deinceps ad alteram quaestionum nobis propositarum aggressi, quo „*eadem*" pronomen referendum sit, facile intelligemus.

Si ponamus, ut „*eadem*", quod Lipsius et Thysius volunt, ad vocem „*cupido*" pertineat, sententia efficitur, qua nihil novi prioribus adiungatur neque narratio ullum progressum habeat; eadem enim cum ceteris ambitione se corruptum fuisse Sallustius, scriptor ille adstricta brevitate prae aliis insignis, modo praegressis iam semel narravit.

Et cavendum est, ne quis narrationis progressum vocibus „*fama atque invidia*" fieri putet; huic enim rei obstat, quod hae voces, quibus, quid ambitione effectum sit, significatur, pronomine „*eadem*" non repetito non modo gravitate sed perspicuitate sensus prorsus carent; quominus autem illud suppleamus, ipse verborum ordo nos impedit.

Quodsi pronomen „*eadem*" cum verbis, quae sequuntur, cohaerere manifestum est, magna exsistit quaestio, num nominativi an ablativi casus locum obtineat.

Si cum omnibus fere editoribus, Cortio praeeunte, „*eadem*" vi casus nominativi accipiamus, in vocibus „*fama atque invidia*" a voce „*cupido*" commate disiunctis offendamus necesse est; illis enim, quid ambitione effectum sit, significari eamque ob rem particulam, qua sententiarum ratio perpetuitasque indicetur, deesse non posse iam Kritzius recte animadvertit. Qui copulam „*que*" a Sallustio praegnanti sensu „*et propterea*" saepius usurpatam hoc loco excidisse suspicatus „*eademque*" scripturam, quippe cuius vestigia in nonnullis codicibus „*eademque ceteros*" exhibentibus exstarent, unice veram iudicavit. Haec vero Kritzii coniectura quominus nobis probetur, sensus verbis auctoris illatus obstat. An censes, Sallustium, quanta erat in dicendo brevitate ac gravitate, hanc sententiam tam levem, ne dicam, absurdam proferre potuisse: Quia eadem ego atque ceteri honoris cupidine vexabar, eadem qua illi fama atque invidia laborabam? Ac si huius rei per se ipsam intellectu facillimae mentionem facere prorsus supervacaneum non esset! Kritziana igitur emendatio quamvis speciosa tamen nobis non magis arridere potest, quam Dietschii, ex qua sensu, quem ille flagitat, non mutato „***honoris cupido eadem eademque quae ceteros fama***" legendum sit.

Quid igitur? Nihil iam amplius nobis relinqui videtur, quam ut Gronovii eiusque sectatorum Jacobsii et Jordani scripturam ex coniectura ortam „***honoris cupido eâdem quâ ceteros famâ atque invidiâ***" amplectamur.

Quodsi ratione sensus habita omnino nihil interesse, utrum hanc an Kritzii emendationem sequamur, ex verborum structura manifestum est, ipsi quoque ad hunc locum arte coniecturali sanandum adducimur. Primum igitur ad ea respiciamus, quae quaestione nostra iam effecta sunt; ac dein scripturam ipsam in codicibus aliis aliam paulo diligentius intueamur.

Supra autem haecce demonstrata sunt:

primum: sensum, quem Kritzius, Dietschius, alii huic loco inesse opinantur, a mente Sallustii esse alienissimum ideoque voculam „*que*" pronomini „*eadem*" a Kritzio falso adiectam;

deinde: pronomen „*eadem*“ non ad proxime praecedens verbum „*cupido*“ pertinere eaque de re Dietschianam quoque emendationem reiiciendam esse;

tum: post „*eadem*“ pronomen non „*quâ*“ a Sallustio scriptum fuisse.

Quibus rebus omnibus circumspectis rationibusque subductis, facere non possumus quin hunc locum ab editoribus non emendatum et enucleatum, immo vero depravatum et obscuratum esse libere profiteamur. Codices videlicet inter se collati, quorum alii ac praestantissimi quidem „*eadem quae*“, alii „*eademque*“, ne unus quidem vocibus „*que quae*“ iuxta positis „*eademque quae*“ scriptum habent, nihil hoc loco excidisse satis docent simulque significant, unde haec scripturae discrepantia orta sit. Verisimillimum enim est, rem sic sese habere: Quispiam librarius, sive alterius textum dictantis verba suamet ipsius aut illius culpa non satis acriter perceperat, sive sibi ipse ex libro dictans vocem „*quae*“ ex more scribarum fortasse per notas scriptam male legerat, in suo exemplari pro pronomine „*quae*“ copulam „*que*“ exaravit; quam posteriores scribae somniculosi et de sententiarum integritate parum anxii in libros suos temere transscribebant. Quam facile autem illud prius fieri potuerit, nemo hercle non videt. Recentiores autem Sallustii editores, quoniam in hac scriptura acquiescendum non erat, ad sublatam constructionis integritatem restituendam alius aliam, ut supra dictum est, locum emendandi rationem inierunt.

Sequitur igitur ex iis, quae antegressis exposuimus, ut nihil aliud verum iudicandum sit nisi pronomen „*eadem*“ locum sexti casus obtinere atque ita vocibus sequentibus „*fama atque invidia*“ appositum esse, ut, quibus rebus honoris cupido Sallustium vexaverit, inde appareat; ad voculam „*quae*“ autem posterius verbum „*vexabat*“ supplendum esse quis est quem fugiat aut offendat?

Sic sententiam ad praegressas aptissime quadrantem elicimus, qua non modo oratio recte procedit, verum etiam de structura totius pronunciati quaevis dubitatio editorum tollitur.

Sane Dietschius quidem initio alterius commentationum capitis verbum vexandi non solum de hominibus, sed etiam de rebus, veluti de aliquo animi affectu usurpari posse prorsus negavit; sed neque illud exemplum Ciceronianum (pro Flacc. 20, 48), quo recte homo aliquem „*probris omnibus maledictisque vexare*“ dicatur, commode huc attulit; quoniam illic verbum vexandi vim usitatam aliquem torquendi vel persequendi, hic vero inusitatiorem quidem aliquem seu aliquid commaculandi habet; neque duo illa exempla Sallustiana, quae debebat, respexit, ex quibus auctorem verbum vexandi et illa vi minus vulgari et de rebus quoque usurpasse constat. Sunt autem haec: Cat. 5 § 8: „quos (scil. mores) pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant; et Cat. 20 § 12: cum omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen sqq. Hos duos locos Dietschius si animadvertisset, profecto neque in verbi vexandi interpretatione tantopere se torsisset neque omnino ad emendationem illam a nobis improbatam descendisset. Nimirum qui praestantior sensus ex verbis auctoris ipsis erui potest nisi quem iam vernacula paulo uberius sic exprimere liceat? „Wiewohl ich mich, vom Ehrgeize abgesehen, im ausgesprochensten Gegensatze zu den übrigen schlechten Sitten damaliger Zeit wusste, so befleckte mich doch nichts desto weniger meine Ehrbegierde mit eben derselben üblen Nachrede und Gehässigkeit (trug mir ebendieselbe üble Nachrede und Gehässigkeit ein), welche die Uebrigen um ihrer argen Sitten und verwerflichen Mittel und Wege willen verdientermassen brandmarkte.“ Sallustium autem brevitate elocu-

tionis ac perspicuitate in primis conspicuum totam sententiam forma quam grammatici dicunt activa induisse, ne duobus ablativis „*honoris cupidine*“ et „*eadem qua ceteri fama atque invidia*“ iuxta positis orationis ambiguitas oriretur, cuilibet perfacile est ad intelligendum.

Sed priusquam ad tertiam quaestionem transeamus, quomodo Dietschius et verborum „tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur“ constructionem fieri et participium „*corrupta*“ quod vocem „*ambitione*“ sequitur intelligi velit, reticere non possumus.

Qui cum dicit, Sallustium hic se excusare, quod non iam prius aetatem a republica procul habuerit, ideoque voces „*inter tanta vitia*“ arctissime cum verbo „*tenebatur*“ coniungantur oportere, plane immemor est eius rei, quod Sallustius se ab ipsis his tantis vitiis vehementer abhorruisse affirmat eamque ob rem illa non fuerunt, cur in republica etiam diutius versaretur; illae voces potius proxime ad „*imbecilla aetas*“ pertinere quum ipse verborum ordo tum maxime ea res docet, quod aetas, qua adolescentes Romani ad rempublicam accedere solebant, iam multo maior erat quam quae per se imbecilla dici posset. Imbecillam igitur aetatem suam auctor dicturus omnino non fuisset, nisi quod, tot tantisque vitiis in republica vigentibus, morum integritati servandae imparem se levi tantum ambitionis vitio corrumpi passus esset mirum non esse dicere voluisset.

Nec magis nobis probari potest, quod Dietschius in vocibus „*ambitione corrupta*“ prorsus nihil offensionis inesse nobis persuadere studet. Sane quidem participium „*corruptus, a, um*“ fere vim adiectivi habere ex exemplo a Sallustio ipso (Frgm. I, 47 § 7.) petito apparet; sed quomodo huiusce vocabuli notionem ab homine ambitione corrupto ad ambitionem ipsam transferre liceat, mehercle multo etiam difficilius est intellectu quam illud vexandi verbum, quod apud Dietschium tantam habebat offensionem, de rebus quoque praedicari. Accedit etiam, quod sensus, quem Dietschius verbis „*aetas ambitione corrupta tenebatur*“ vindicat, minime investigari potest; nam qui ambitione corruptus est, haudquaquam is male agere semper putatur, sed ambitione captus animi tranquillitatem morumque integritatem amisisse tantummodo dicitur; qui sensus ad perpetuitatem sententiarum unice respondet. Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione usum dicendi, ex quo verbum „*tenere*“ persaepe cum participio generis qui dicitur passivi coniunctum legimus, tenendum et cogitationum simplicitatem non minus quam verborum ordinem respiciendam esse iudicamus.

Cat. cap. 4 §§ 1 et 2 haec continentur:

„Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani .... perscribere; sqq.“

Omnium fere virorum doctorum ingenia voces „*servilibus officiis*“ magnopere exercuerunt. Qui, cum et agriculturam et venationem apud Romanos semper in summo honore fuisse ex ipsis antiquitatis scriptoribus constet, quo iure Sallustius utrumque studium servile officium dixisset parum intelligentes plerique ita interpretati sunt, ut haec officia non per se servilia i. e. quae servis relinquerentur digna, sed nisi cum animi contentione collata non humilia esse dicerent.

Cui interpretationi quamvis nonnihil veri insit, tamen hoc loco servos respicere a Sallustii mente alienissimum fuisse mihi quidem quid ineunte primo capite exposuerit reputanti videtur; illic enim animi imperio simulque corporis servitio uti homines ita docuit, ut quicunque corpori soli serviant ab eo, ad quod nati procreatique sint, plane recedere appareat. Hoc igitur de quo agimus loco quid, quaeso, est credibilius quam Sallustium haec sensisse: Cum a republica recessissem, neque desidiae totum me dare volebam neque tale studium inire, quali me corporis curae unice servientem praestarem; iccirco ab agricultura et venatione, quippe quorum studiorum utrumque est ea quae sunt ad corporis conservationem necessaria comparantium, dissentiebam, quoniam in haec negotia voluptatis vel recreationis gratia paullulum incumbere est aliud, aliud quotidiano usu, quamdiu vivere licebit, in iis perseverare. Unde patet, qui per totam vitam agriculturae aut venationi deditus sit, eum demum officio servili fungi a Sallustio ita dici, ut officia servilia esse, quae ad victum cultumque quotidianum pertineant, liqueat.

Totum igitur locum germanice sic verti maluerim: „Weder lag es in meiner Absicht, meine gutverwendbare Musse mit Nichtsthun zu vergeuden, noch auch, mein Leben mit Ackerbau oder der Jagd hinzubringen, Beschäftigungen, die dem praktischen Lebensbedarf dienstbar sind." Quae vocabuli „*servilis*" notio nescio an quem primo obtutu offendat; sed cum adiectivum „*servilis*" prorsus eadem ratione a verbo serviendi derivatum sit, qua, ut in uno exemplo acquiescam, „*facilis*, *thunlich*" a verbo faciendi, equidem illud illa praegnanti potestate hoc loco accipere non dubito; quod quum nexus sententiarum suppeditat tum maxime ea res docet, quod Sallustius servilibus officiis subinde studium litterarum opponit seque res gestas perscribere statuisse commemorat.

Jam quaeritur, utrum codicum longe plurimorum scriptura „*a quo incepto studio*" an pauciorum „*a quo incepto studioque*" tenenda sit.

Hanc alteram scripturam, quam iam Havercampus amplexus est, omnes fere recentiores Sallustii editores, velut Kritzius, Dietschius, Jordanus, alii, illi priori eam ob causam praetulere, quod particulam „*que*" ex more auctoris hoc quoque loco explicandi gratia antegressae voci „*studio*" affixam esse opinabantur. Itaque Kritzius in commentariis explicat, „*inceptum*" generale verbum esse, cui auctor explicationis caussa statim subiunxerit „*studioque*", ut, quale illud inceptum fuisset, intelligeretur. Equidem miror, quod hic vir tam doctus ac prae ceteris tam perspicax in re tam plana tantopere se torsit et, dummodo scriptori usum elocutionis recte observatum etiam hoc loco vindicaret, interpretationis rationem nimis artificiosam, qua nihil aliud efficitur quam ut sermo languescat, ingressus est; nec minus miror, quod se non intelligere dicit, quomodo, si auctor „*a quo incepto studio*" scripsisset, librarii „*que*" addere potuerint. Profecto Kritzius ad hanc explicationem non confugisset, si et nexum cogitationum observasset et simplicitatem maxime elocutionis respexisset. Quid enim, quaeso, facilius est intellectu quam ipsa huiusce loci sententia? Sallustius cum dixerit compressis, quod aiunt, manibus sedere se noluisse, ad idem studium, quod adolescens iam incepisset, se regressum esse narrat. Quod quale fuerit, et ex sequentibus verbis „*statui res gestas perscribere*" intelligitur et ipse in ep. II ad Caes. cap. 10 narrat, ubi legimus: Postquam mihi aetas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in litteris agitavi.

Accedit autem etiam haec res non levis momenti. Si cum Kritzio voculam „*que*" explicativam textui admittimus, vocem „*incepto*" vi nominis substantivi accipiamus

necesse est. Quod cum ita sit, Sallustio pro „*incepto studioque*" nonne potius „*studio inceptoque*" scribendum erat, quoniam eum munera publica, quibus modo defunctus erat, studio litterarum, a quo mala ambitione se deteneri passus erat, opposuisse nexus rerum docet eumque hoc studium, nomine „*incepto*" adiecto, a se prius iam inceptum fuisse explicare voluisse manifestum est? An censes fortasse, in voce „*incepto*" maiorem dicendi gravitatem positam esse, quam in voce „*studio*"? At illam notionem, quod tantummodo ad hanc explicandam vim habet, inferiorem ideoque huic subiiciendam esse quis est qui neget? Quominus igitur scripturam „*studioque*" teneamus, quum rerum nexus tum vulgaris usus dicendi obstat. Ut enim nobis patrio sermone „von welchem Vorhaben und zwar Studium" dicere nunquam in mentem venit, ita Romanis ista, quam Kritzius statuit, ratione eloquendi uti non licebat.

Admodum autem probabile est, particulam „*que*" a librario quodam nomini „*studio*" propterea additam esse, quod ex praeposito „*quo*" pronomine vocem „*incepto*" locum nominis substantivi obtinere coniiciens ad eam cum sequenti „*studio*" coniungendam copulam requiri opinabatur.

Verba insequentia „*ambitio mala*" quamquam Kritzius recte ita interpretatur, ut ambitionem malum afferre vel malos facere dicat — quod ipsum Sallustii exemplum docet — tamen dubitarim an hoc loco alio magis spectent. Auctor enim cum scriptori gloriam quidem multo minorem quam auctori rerum tribui, sed negotium in primis arduum esse praegressis exposuerit, veri simillimum videtur eum ambitionem ideo malam dicere, quod ea maximae gloriae cupiditate incensus atque animo a studio historiae abalienato ad munera publica obeunda adductus sit.

Cat. cap. 5 § 9 vulgo haecce leguntur:

Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, ut paullatim immutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit disserere.

Exemplum Lipsii secuti quum alii ex recentioribus editoribus tum Dietschius et Jordanus textui post verbum „*pulcherruma*" voces „*atque optuma*" inculcaverunt. Quod cur fecerint, ex iis intelligitur, quae Dietschius in capite commentationum altero disseruit. Ubi haec legimus: Quicumque verba „ut paulatim inmutata ex pulcerruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit" adtente legerit, quod aequabilitas membrorum, cuius Sallustius studiosissimus est, violata sit, offendet. Ea servata est in codice omnium vetustissumo P, qui „ex pulcerruma pessuma facta sit" exhibet; at quo minus hoc ab Sallustio scriptum putemus, cum aliae caussae obstant, tum Augustini (de civ. d. II, 18) testimonium. Unde non dubium est, quin verba „*atque optuma*" cum Sellingio lect. Sall. p. 7 et Linkero recipiunda sint. — Hunc locum iterum iterumque a me lectum in offensionem meam non cecidisse equidem non fateri non possum. Vae igitur me somniculosum, qui Sallustium attente legisse mihi visus a Dietschio incuriae socordiaeque coargutus sim! At enim vero nonne mihi quoque illud, quod vir doctissimus ille respexit, Sallustii studium respiciendum erat? Erat; respiciendumque respexi. Nihilo tamen secius ego tantum abfuit ut auctorem hoc quoque loco id secutum arbitrarer, ut, tametsi animo meo exemplum quoddam Sallustianum huic plane geminum observabatur, auctoritatem

codicum, qui fere omnes vocibus „*atque optuma*“ carent, maxime tenendam esse iudicarem. Longe enim alia est illius, quod mihi obversabatur quodque Dietschius haud dubie respexit, exempli ratio, alia huiusce, de quo agitur. Quod quo melius perspiciatur, liceat illud, quod exeunte capite decimo exhibetur, huc referre: „post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.“ Hoc exemplum ita comparatum esse, ut utrumque par vocum inter se coniunctarum gradationem notionum efficere alterique sensu oppositum esse nemo non videt; liquet enim notionem imperii optumi et graviorem et ampliorem quam iustissimi esse itemque notionem „*intolerandum*“ notioni „*crudele*“ gravitate amplitudineque antecellere. Huic igitur loco nisi gravitate elocutionis rhetoricae sublata voces „*atque optuma*“ detrahi non posse per se patet. Jam vero, num hic locus quem in medium vocavimus eiusdem generis sit, videamus ad idque „*ex pulcherruma atque optuma*“ legendum esse fingamus. Hoc quoque exemplum ex duobus vocum paribus constare, quorum posterius gradationi sensus inserviat, neminem sane fugiet. Sed si quis, num etiam prius speciem eiusdem figurae oratoriae prae se ferat, quaesierit, ei vocem „*optuma*“ offensioni esse necesse erit; namque eam notione multo esse leviorem minusque late patere eandemque voce „*pulcherruma*“ contineri in promptu est. Quod nisi ita esset, Sallustius capitis quinquagesimi secundi paragrapho vicesima profecto non scripsisset: „si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus, quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est.“ Quid igitur? Voces „*atque optuma*“, quippe quibus additis expedita et aequabiliter profluens oratio subito languescat, utpote spuriae reiiciendae sunt. De illa enim, quam Dietschius statuit, membrorum aequabilitate hoc quidem loco non iam cogitari potest, quoniam priorem prioris membri notionem gravitate imminui, posterioris augeri luce est clarius; qualis oppositio verborum communi dicendi consuetudini vehementissime repugnat. Ceterum auctorem illam membrorum aequabilitatem haud ita respexisse ex prima capitis tricesimi primi paragrapho cognoscas, ubi scriptum invenies: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit. Sed quo tandem iure idem vir doctus, ut voces „*atque optuma*“ addendas esse demonstraret, codice Parisino omnium, qui exstant, vetustissimo nisus est? Quomodo fieri potuerit, ut a scriptura eius „*ex pulcerruma pessuma facta sit*“ argumentum illius aequabilitatis ab auctore bene servatae atque huic etiam loco restituendae peteret idemque illam ne quis veram crederet cavendum esse ipse moneret, meae quidem intelligentiae vim prorsus fugit. Immo vero ego ex scriptura illius codicis Parisini nihil aliud constare iudicarim nisi eum, a quo manu scribebatur, ipsum quoque in libro vetustiore, ex quo transscribebat, post vocem „*pulcherruma*“ statim „*pessuma*“ legisse, sed aut in aequabilitate verborum spreta offensum voces „*ac flagitiosissima*“ omitti oportere ratum esse aut animo parum attento eas omisisse.

Quoniam igitur ex iis, quae exposuimus, constat cur voces „*atque optuma*“ a Sallustio scriptae fuisse nequeant, dubium non est, quin a margine, ubi in nonnullis manu scriptis reperiuntur, in textum paucorum codicum ipsum vel temere vel de industria illatae sint.

Cat. cap. 6 § 2 vulgo haec eduntur:

Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint.

Quamquam Kritzius vocem „*alius*" bis, sed non eodem casu. positum non unius sed plurium significationem continere scite explicans scripturam „*alius alio*" ex praestantissimorum longeque plurimorum codicum auctoritate retinuit, tamen Dietschius et Jordanus, Lipsio auctore, paucis ac minime probatis manu scriptis plus fidei tribuentes pro „*alius alio*" „*alii alio*" legendum esse censuerunt. Hoc eos censuisse propterea admodum mirum est, quod ex similium locorum exemplis ne unius quidem argumento uti poterant. Hos enim locos ex Sallustio a me collatos introspicias velim:

Cat. 2 § 3: neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres.

Cat. 6 § 5: at Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari....

Cat. 22 § 2: quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii.

Cat. 52 § 28: sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini.

Jug. 12 § 2: reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere.

Jug. 58 § 8: igitur pro metu repente gaudium mutatur, milites alius alium laeti appellant.......

Qui dicendi usus cum etiam apud alios plerosque scriptores Romanorum (velut apud Livium libr. II. cap. 10: dum alius alium circumspectant) passim reperiatur neque usquam pluralem numerum admitti appareat, num singularis fortuito tantum positus esse putandus est? Minime vero. Ergo ad grammaticae logicaeque leges referri iisque defendi debet.

Primum id tenendum videtur, quod verba „*alius alio more viventes*" voci „*hi*", quam ex grammaticorum more subiectum pronunciati dicimus, per appositionem ita addita esse patet, ut participium „*viventes*" proxime ad illud subiectum pertineat et vocabula „*alius alio more*" participio „*viventes*" accuratius explicando inserviant. Quod si ita est, vocem „*viventes*" speciem appositi quod dicimus prae se ferentem ipsam quoque voculis „*alius alio more*" appositis uti apparet. Ceterum, utrum „*alius alio more*" ad „*hi*" an ad „*viventes*" referre malis, prorsus nihil interest; utroque enim modo singularem numerum „*alius*" vocabulo pluralis numeri explicationis causa appositum videmus. Jam vero quaeritur, num quid offensionis huic rei insit necne; ad idque iudicandum quae sit cuiusque verbi appositi vis atque natura reputare oportet. Cuiusque autem verbi alteri appositi ratio haud dubie est ea, ut alterum explicet cum eoque unum idemque significet. Ubi igitur plures res eiusdem generis explicandae nobis sunt, necesse est ipsius quoque verbi apponendi pluralis numerus requiratur. Sed cavendum est ne quis hoc de quo agitur exemplum huic legi repugnare putet. Vocem enim „*alius*" cum „*alio more*" arctissime cohaerentem plurium significationem efficere ac simul in unam quasi notionem coalescere quis est quem fugiat? An infitiaris, quae res est intellectu facillima, numerum „*viventium*" cogitatione nobis ita dissolvendum esse, ut unusquisque eorum ratione ceterorum habita alius dici possit singulique alii in unum comprehensi eundem viventium numerum efficiant? Videmus igitur Sallustium aliosque scriptores optimo iure singularem „*alius*" numerum cum alio casu eiusdem vocis coniunctum, quo quum diversitatem hominum vel rerum tum pluralem numerum exprimerent, adhibuisse. Atque hoc iam Kritzius recte monuit; qui tamen in eo magnopere falsus esse mihi videtur, quod vocis „*alius*" illo modo bis positi praedicatum non forma grammatica sed sensu spectato recte plurali numero enunciari posse dixit. Mea quidem enim ex sententia vox „*alius*" in omnibus huiusmodi exemplis, quotquot inveneris, minime ad praedicatum dirigendum vim

habet, sed unice ad nomen, de quo aliquid enunciatur, pertinet. Sin autem cum Dietschio „*alii alio more*“ legimus, quid, quaeso, plurali numero faciamus? Illi viro doctissimo vocem „*alii*“ ad subiectum „*hi*“, quod participio „*viventes*“ repetitur, spectare eiusque explicationi inservire visam esse luce est clarius. At iis, quae de appositis supra exposuimus, consideratis num „*hi*“ sunt „*alii*“, non ipsi? Mimine vero. An, si cui fortasse vox „*alii*“ pariter atque „*alius*“ de minori numero quam „*viventes*“ intelligenda videtur, per usum dicendi fieri licet, ut id, quo quaedam pars alicuius rei denotatur, huic rei, quae summam omnium partium significat, eodem casu apponatur? Nullo modo licet. Nonne in hac re semper id, de quo aliqua pars sumitur, genetivo casu vel per praepositiones (inter, ex, de) poni debet?

His expositis satis, opinor, apparet, codicum longe plurimorum „*alius alio more*“ scripturam unice veram esse iudicandam.

Jam transeamus ad locum difficillimum Cat. 7 § 4, de quo ut recte iudicari possit, scripturae diversitas, quae inter codices intercedit, diligentissime perscrutanda est. Hunc autem Kritzius sic legi vult:

> Jam primum iuventus, simulac belli patiens erat, in castris per laboris usum militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant.

Vix ullo alio loco codices manu scripti magis inter se discrepant. Quam tantam discrepantiam cum vix quisquam animo effingere queat, haud a re arbitror, quantopere libri omnes fluctuent, ostendere; praesertim quod ita facilius lectio genuina investigari potest. Haec autem est scripturae varietas:

> simul laboris ac belli; laboris simul ac belli; laboris belli simulac; simulac laboris ac belli; simulac laboris belli; laboris belli simulac; simul et laboris et belli; simul pacis ac belli; simulac pacis et belli; periculi simul ac belli; simul ac belli erat patiens; simul ac patiens belli erat. — Et subinde:

per laborem usu militiam; militiam usu per laborem; per laborem et usu militiam; per laborem usum militiam; per laborem usum militiae; per laboris usum militiam.

In tanta codicum dissensione totum locum funditus corruptum atque ab aliis interpolatoribus alio modo tentatum iudicare eo minus dubitamus, quod etiam vetustissimus omnium codex Parisinus „*per laborem usu militiae*“ tenet, quae scriptura quominus probetur et sensum et structuram obstare manifestum est.

Primum igitur quid ex codicum discrepantia ipsa constet videamus. Qui cum fere omnes voculam „*ac*“ exhibeant, eam a Sallustio scriptam fuisse apparet; hoc unum igitur nobis relinquitur, ut quem locum ex ordine verborum obtinuerit ostendamus. Deinde vero dubium non est quin vox „*usu*“ principalis scriptura putanda sit; itaque hoc solum percunctemur oportet, quid de vocibus „*per laborem*“ faciendum sit.

De loco quidem, quotus voculae „*ac*“ inter verba enunciati tribui debeat, nisi quomodo Sallustius adverbium „*simul*“ adhibuerit qualisque cogitatorum nexus sit perscrutati verum investigare non possumus.

Omnes autem loci quotcunque inveni inventosque inter se contuli cum ita sint comparati, ut adverbium „*simul*“ aut ad tempus spectet (Cat. 2 § 5; 33 § 5; 43 § 2; 45 § 3; 51 § 2; Jug. 99 § 1) aut vim copulativam habeat (Cat. 19 § 2; 20 § 3; 56 § 5;

Jug. 4 § 2; 20 § 1; 47 § 2; 64 § 5; 70 § 5; 91 § 1) aut denique coniunctionis quae dicitur vi praeditum idem quod „*ubi primum*“ significet (Jug. 97 § 4), dubitandum non est, quoniam apud Sallustium „*simul*“ ne semel quidem cum copula „*ac*“ in unum verbum coniunctum invenitur neque ullo loco „*ac*“ post „*simul*“ legitur, quin huius quoque exempli depravati vox „*simul*“ a copula „*ac*“ seiungenda sit. Atque hanc copulam ex nonnullorum codicum fide post vocem „*laboris*“ collocare eo minus dubitandum nobis est, quod sic sensum ad ea quae Sallustius certe dicturus erat aptissimum elicimus. Auctor enim cum, regio imperio sublato, statim suum quemque ingenium magis in promtu habere incepisse libertateque adepta civitatem brevi mirum quantum crevisse iis quae praecedunt dixerit, quo modo id accidere potuerit ostendit. Namque omnes Romanos commemorat ex eo tempore tanta incensos fuisse gloriae cupiditate, ut a pueris omne studium ad rem gerendam conferentes, simulatque ad tantos labores quantos quaevis bella ferunt perferendos idonei sibi videbantur, in castris usu militiam discere et decoris armis equisque militaribus uti quam scortorum atque conviviorum dulcedine frui mallent.

Quodsi hanc fuisse Sallustii sententiam nexus rerum docet, iam quaeritur quomodo copula „*ac*“ vocibus „*laboris*“ et „*belli*“ interposita accipienda sit. Quam hoc loco ad verbum „*laboris*“ definiendum eiusque notionem simul augendam valere ne cui mirum esse videatur, exemplum simillimum Jug. 92 § 4 spectari velim, ubi scriptum est: denique multis locis potitus ac plerisque exercitu cruento aliam rem aggreditur sqq. Id autem maxime cavendum est ne quis duas voces „*laboris*“ et „*belli*“ ex eodem gradu esse arbitretur; neque enim omnino sunt inter se vocula „*ac*“ coniunctae, sed prior vox „*laboris*“ ad praedicatum „*patiens erat*“ pertinet ex eaque posterior „*belli*“ pendet.

Sed quid tandem voces „*per laborem*“ sibi volunt? Num a Sallustio scriptae censendae sunt? Minime vero. Tria enim obstant: primum, quod in vocabulis „*per laborem*“ et „*usu*“ ἀσυνδέτως positis nemo non offendat necesse est; deinde, quod, etiamsi sic dicere liceret, Sallustius vocabulum „*labor*“ modo usurpatum subinde profecto non repetiisset; tum, quod „*per laborem*“ non modo plane supervacaneum est, (quoniam qui militiam usu id est experientia atque exercitatione discit eum per laborem discere per se patet) sed etiam ad notionem usu discendi (praktisch erlernen) minus apte convenit. Qui videlicet nihil aliud quam labores belli perferre didicit, eum militiam didicisse num recte iudicamus? Nonne in multo etiam pluribus ac gravioribus quidem rebus militia continetur?

